



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

8. Ex injuncto, &c. Ecclesiam Collegiatam Sancti Albani Namurci (aucto  
Canonicorum numero, ex Præbendis Capituli Sancti Petri in Casto) erigit in  
Cathedralem anno 1560 ibique novum instituit ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)



Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reformationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae MDLX. quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Ecclesiam Collegiatam Sancti Albani Namurci (aucto Canonico numero, ex Praebendis Capituli Sancti Petri in Castro) erigit in Cathedralium anno 1560. ibique novum instituit Episcopatum Suffraganeum Archiepiscopatus Cameracensis, eidem pro dote assignans Abbatiam Floressensem, Ordinis Praemonstratensis in Namurcesio.

### PIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**E**x injuncto nobis desuper Apostolicae Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quae Ecclesiarum quarumlibet, praesertim Cathedralium noviter erectarum, decori & venustati, ac illispraesidentium, & etiarum personarum in eis Divinis Laudibus insistentium statui, & opportuna subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christianifidelium salute valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quae a Praedecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuaderet, & id in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Praedecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniae, quae charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure etiam tunc subiecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longe, lateque distitorum Castrorum & Pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitae institutum, ac denique temporis deplorata ob haereticos conditio exposculabant:

Hisque, & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicae succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habità, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, ac Apostolica Potestatis Plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Dioeceses à Rhenensi, & Coloniensi Provinciis, ac Mechliniensem & Namurcensem, ac diversa alia Oppida insignia dictae Regionis à sua quaque Dioecesi, & Provincia perpetuò segregaverat, & diverserat, nec non Mechliniense, & Namurcense, ac reliqua alia Oppida praedicta, sic divisa in Civitates:

Cameracensem verò, & Ultrajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem in Metropolitanas, & S. Albani Namurcensem, ceterasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum praedictorum Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui

suae quisque Ecclesiae praesent, nec non Mechliniensi, & Namurcensi Ecclesiis, Civitatibusque praedictis certos tunc expressos districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illic mittendum, limitandos, pro sua cuique Dioecesi perpetuò concesserat, nec non Ecclesiae Cameracensi praedictae, Ecclesiam, Civitatem, & Dioecesim Namurcensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat: praefato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias tunc expresso modo & forma qualificatas, ad Namurcensem, & alias Ecclesias erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos, & Episcopos, ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbos, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo, & Apostolicae Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias, vel Dioeceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Praepositis, sub illis consentientibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii, scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius dicto Praedecessore interea de medio sublato, vigore, seu praetextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, qui ad id canonicè subdelegari poterant, facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis.

Animadvertentes, quod per dismembrationem Bonorum à Monasteriis & Praepositis praefatis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter laederetur, ipsa Monasteria Mensis praefatis, pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum Curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potius esse unienda.

Ac designationes & limitationes Provinciarum & Diocesium, divisionesque, & distributiones Oppidorum & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diocesium, commodiores illis, quae per primodictas litteras statuuntur.

Nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum, ac Dignitatum, Praebendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque & formam in praefatis Ecclesiis etiam per hujusmodi dismembrationem, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodatas rationes habendas censuerunt, ac super majori illorum parte processus & scripturas, serie digestis rebus omnibus, formandos curaverunt.

Et inter alia dictae Ecclesiae Namurcensi, & pro tempore existenti Episcopo Namurcensi.

Namurcum, Flerucum, Salfines, Bovinia, Poilvache, Walchourt, Jambes, Folz, Bouges, Bovynes, Loyeres, Lyve, Brumagne, Erpent, Andoy, Wierde, d'Aubnes, Nanines, Saint-Servais, Marches Dames, Saint-Marcy, Lesmines, Warifoul, Villers, L'Hefs, Colignile, Rusnes, Gelbussee, Ronet, Anglise, Warte, Champilon, Ober, Marbais, & appendices per oppida, villas, castra, pagos & loca, respectivè pro sua Dioecesi designaverunt, prout in singulis litteris, ac processibus, & scripturis praedictis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia volumus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Monasterium Floressense, Praemonstratensis Ordinis, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Dioecesis, cum primum illud per cessum, vel decellum moderni illius

Abbatis,



Abbatis, aut alijs quovis modo vacare contigerit, Mensæ Episcopali Namurcensi ex nunc, prout ex ea die, & è contra, perpetuò univimus, anneximus, & incorporavimus, attendentes, quòd si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesijs Cathedralibus, optimisque Præfulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosà hæresum dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, atque attingitur, haud ita violenter invaluisent.

Nunc autem, cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul Populos ipsos in Sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia æque opportuna remedia potuerit adhibere.

Ut illa juxta cordis sui, atque nostri desiderium promptos, & felices fortiantur effectus, nostri Ministerii partes adjicere, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare, & promoveri, ac singularum Litterarum, Processuum, & Scripturarum prædictarum veriores tenores, nec non Mensæ Episcopalis Namurcensis, & illi univendos, ac aliorum Canonicatum, & Præbendarum, Decanatus, Dignitatum, & Officiorum suppressendorum infrascriptorum fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habere volentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis id pro salute dictorum Populorum enixe prolequentis excitati.

Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica tenore præsentium, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum Subdelegatorum, & in prædictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inherendo, ac concessionem, & assignationem per priores Litteras Prædecessoris hujusmodi factas quoad infrascripta immutando, omnia, & singula Oppida, Caltra, Pagos, Villas, & Loca in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesijs etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, Beneficiis, Locis, & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus, ac populis quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Namurcensi, juxta designationem illi per prædictos Subdelegatos factam hujusmodi perpetuò concedimus, & assignamus.

Et quia fructus, proprietates, & Bona dicti Monasterii Floressinensis, militum incurSIONibus non mediocriter vastata reperiuntur, & convenit, ut in ea parte Namurcensis Diocesis prædictæ, quæ Gallicam Brabantiam complectitur, unum Episcopale Consistorium statuatur, in quo Clero, & Populo Brabantinis, qui extra Ducatum Brabantie metas ad Judicium trahi non consueverunt, jus dicatur.

Idcirco de Namefche in Ripa Mosæ extra Namurcum, cujus tercentorum, & Berteriensis prope Hannutum, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diocesis, in quo Monastica vitæ usus, & forma cessant, & ædificia diruta sunt, ac solus Religiosus otiosè vivens eò loci ad recipiendum proventus deputatur, cumque quadringentorum Ducatorum auti de Camera, fructus, redditus, & proventus, secundum communem æstimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, Vallis-Scholarium, & Cisterciensium, aut aliorum Ordinum Prioratus forsàn conventuales.

Cum primum illos per cessum, etiam ex Causa permutationis, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, aut amissionem dilectorum Filiorum modernorum illorum Priorum, seu Commendatariorum, aut aliis quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Re-

gulas, seu Litteras alternatarum, aut alia privilegia reservata existit, seu fuerit, vacare contigerit.

Vel etiam si actu nunc, ut præfertur, vacent, ac tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem præfatam legitime devoluta, ipsique Prioratus dispositioni Apostolicæ generaliter, vel specialiter reservati, & ad illos consueverint qui per electionem allumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis imminet animarum, super eis quoque inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, annexis, & pertinentiis suis, ex nunc prout ex tunc, & è contra, prædictæ Mensæ Namurcensi, suppressis, & in eis nomine, titulo, & dignitate Prioratus, & Conventualitate.

Ita quòd liceat Episcopo Namurcensi, pro tempore existenti, corporalem illorum possessionem per se, vel per alium, seu per alios propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque redditus, fructus, & proventus in suos, ac dictæ Mensæ usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiæ minimè requisitâ, etiam perpetuò pro dotis nomine univimus, anneximus, & incorporamus.

Ita tamen, quòd ratione unionis, annexionis, incorporationis Prioratus Berteriensis hujusmodi Episcopus Namurcensis, pro tempore existens, dictum Consistorium in Ducatu Brabantie, & Loco insigni ad hoc ab eo statuendo habere, & inibi jurisdictionem exercere, nec non Ordines toties quoties in Civitate Namurcensi, facta tempestiva significatione per Diocesim, ubinam sit Ordines Sacros collaturus, conferre debeat.

Ut verò ipse Episcopus Ecclesiam suam personis eruditis, & ad Jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munia Ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam, jugiterque decoratam habeat.

Decanatum, ac tredecim Canonicatus, & totidem Præbendas, ac omnia, & singula alia Dignitates, & Officia Ecclesiæ, Cappellæ nuncupatæ, Sancti Petri Arcis Namurcensis, ad quam Canonicis & aliis Beneficiatis aditus propter strictam ejusdem Arcis custodiam admodum difficilis existit, similiter cum primum illa, quæ, vel eorum aliqua forsàn de Jurepatronatus præfati Regis existunt, per cessum, vel decessum, etiam apud Sedem eandem, aut aliàs vacare contigerit, vel etiam si actu nunc vacent, ac etiam dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existant, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis imminet animarum, super eis quoque inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra perpetuò suppressimus, & extinguimus.

Ac in eadem Ecclesia Namurcensi unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post cessum, vel decessum eorum, qui nunc sunt in illa parte ejusdem Diocesis Namurcensis Archidiaconi, talem, qualem Bruxellensis in Cameracensi hætenus habuit, & Mechliniensis Archidiaconus in Mechliniensis Diocesi perpetuò habiturus est, jurisdictionem & administrationem per totam Diocesim Namurcensem præfatam habeat, & unum Archipresbyterum Civitatem pro uno Archipresbytero Civitatis, qui curam Rectorum, & Sacramentorum, ac verbi Dei per Civitatem, & unam Penitentiarum Diocesanam, nuncupandas dignitates inibi pro uno Penitentiaro Diocesano nuncupando, qui similem Curam per Diocesim Namurcensem prædictam habeat, perpetuò erigimus, ac instituimus.

Præterea statuimus, & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis dictæ Ecclesiæ Namurcensis, decem, quos primò per cessum



etiam ex Causa permutationis, vel decessum, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam prædictam, vel alias vacare contigerit, & si actu nunc vacant, & tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservari, affecti, & Sacerdotes existant, & super eis inter aliquos Lis, cuius Statum præsentibus haberi volumus pro exprello, pendeat indecisa, ita perpetuò affecti maneant, quòd Episcopus Namurcensis præfatus unum, & unam omnium primò vacaturos, tanquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos, & quos nos hic, ex nunc prout ex tunc, & è contra, ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, obtinere, illorumque ratione persona Capitularis esse, vocemque, & auctoritatem, etiam in Capitulo super Decanum, & Canonicos habere:

Reliqui verò novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejusdem Diocesis, etiam in Jure, vel Theologia, saltem gradu Licentiatuæ in famosa quadam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primò dictarum Litterarum fecimus, ordine præmissis servato, in perpetuum concedi & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles, quam alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes, & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum Consilium, & operam in negotio Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim, quam divisim præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis Penitentarius ad Penitentiarium hujusmodi ad nominationem dicti Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictas simili ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectate doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in ejusmodi electione suffragium Episcopi non plus Juris, sive momenti, quam cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tumque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem vocum ejusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Expectativis, Coadjutoriis, Mandatis, Facultatibus, Indultis de providendo, commendando, & alias disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, & ad instantiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque Causa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apo-

stolicam præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, aut obitum apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi de illis provideri, aut alias quoquo modo disponi possit: Sed forma electionis præmissa omni tempore servari, nullaque Causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis Magister seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habent visitandi, per universam Diocesim Namurcensem prædictam, quoties ab Episcopo Namurcensi: Cæteri verò Canonici Graduati prædicti quancumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur; ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad Sacros ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, qui se personalem residentiam facturum, mediante juramento promittat, admittendo.

Et quoniam impia Hæreticorum Studia, Viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ Namurcensis in duas partes aequales dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, necessitatis causâ exceptâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico, quacumque causa impetrato, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæteræ Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatis, extra verò eam & in Diocesi Namurcensi existentes, vel sub suis Decanatibus, aut aliis Jurisdictionibus prout hætenus, remaneant, vel alio meliori modo arbitrio dicti Episcopi distribui, ipsorumque Decanatum Decani (salva tamen dicti Episcopi moderatione) emolumenta hætenus percipi solita percipere possint.

Cum autem Mensæ Namurcensis, etiam una cum præmissis, & adjectis, nec non novem Canonicatum, & Præbendarum prædictorum fructus, redditus, & proventus tenuiores sint, quàm conveniat pro commoda sustentatione ejusdem Episcopi, & Virorum doctorum, atque gravium, qui munera prædicta obire commodè possint, idcirco dictæ Mensæ Namurcensi trium (quorum insimul fructus, redditus, & proventus ducentorum, & quinquaginta Ducatorum similium secundum eandem æstimationem, valorem annum non excedunt) quos primò vacare contigerit, ut præfertur, novem verò Canonicatibus, & novem Præbendis pro Graduatis affectis reliquorum decem Canonicatum, & Præbendarum suppressorum, simul per singulos novem Canonicos Graduatos prædictos æquis portionibus percipienda, & insuper Decanatu dictæ Ecclesiæ Namurcensis suppressi Decanatus, nec non Archidiaconatu sic erecto prædictis, aliorum officiorum, etiam suppressorum prædictorum Bona, res, proprietates, decimas, census, fructus, Jurisdictiones, & Jura cujuscumque qualitatis, & quantitatis existentia, similiter ex tunc, prout ex nunc, & è contra, perpetuò applicamus, & appropriamus.

Districte inhihbentes Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus, & Personis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos collatio,



provisio, & quævis alia dispositio conjunctim vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis, cujuscumque Dignitatis, Status, Ordinis, & Conditionis existentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque Sententiis, Censuris, & Pœnis, etiam privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne de Decanatu, & aliis Dignitatibus, & Officiis, ac Canonicatibus suppressis, & Graduatibus affectis prædictis, si vacent, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & executionem in aliquo quantumlibet modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo Jure quæsito, ac de annali, & triennali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacificè quomodolibet utantur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, plenariè uti, potiri, & gaudere, nec non decem affectos, & alios tredecim Canonicatus, & Præbendas, ac Decanatum, cæterasque Dignitates, & Officia suppressa prædicta, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, etiam juxta Concordata Nationis Germanicæ, expectatarum, & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquo modo acceptari non posse.

Et nihilominus quasumque acceptationes, collationes, provisiones, commendationes, uniones, & alias dispositiones, de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem prædictam, & quomodolibet factas, & faciendas, nullius prorsus roboris, & momenti fore, nullumque per eas cuiquam Jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessionem, assignationem, unionem, annexionem, incorporationem, suppressionem, extinctionem, institutionem, statutum, ordinationem, applicationem, appropriationem, & cætera præmissa, ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & ceteris, ac sub quibusvis evocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus etiam unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, & extinctionum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi Apostolatus Apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quocumque tempore fient, minime includi: Sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa.

Sicque immutabilis voluntatis nostræ fuisse, esse, & fore, ac eandem præsentem nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in Jus, aut controversiam quacumque ratione, vel causa vocari posse.

Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super eis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostri Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Decano, Ecclesiæ Beatæ Mariæ Namurcensis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eandem litteras

præsentem, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Namurcensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Namurcensem, & alios præfatos, concessione, assignatione, unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressione, extinctione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, applicatione, appropriatione, ac litteris, & aliis in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet omnino molestari, contradicere, molestari, & rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras ipsas, & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de valore tam imperationibus, quam aliis gratis etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentibus, ac pie memorie Bonifacii PP. Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, etiam reservatoriis, & reservatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, & Locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus.

Nec non quibusvis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratis, etiam in Canonicis creationibus, aliis unionibus, & perpetuis absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Mandatis, Litteris, & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis Familiaribus, continuis Commensalibus, ac Prælatibus Domesticis, nec non Romanæ Curie Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi Causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & litteris derogatoriis derogatoriis, etiam motu, & forma similibus, & aliàs quomodocumque concessis.

Quas, & quæ omnium illorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omnia suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, nec non Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis, & aliis quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis Legis, ac Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insoliis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instan-



tiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac alias quomodocumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia, & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissime extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur, nihilominus in genere, & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Majori, & Sancti Petri Ecclesiis prædictis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus, seu Commendis sibi faciendis, de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, & Officiis Majoris, & Sancti Petri Ecclesiarum, ac Prioratibus huiusmodi speciales, vel pro aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, ac inde sequuta quæcumque ad Decanatum, & Officia, Canonicatus, & Præbendas suppressos, & Graduatis affectos, ac Prioratus huiusmodi volumus non extendi; Sed nullum per hoc eis quoad asequutionem Canonicatum, & Præbendarum, ac Dignitatum, & Officiorum, ac Prioratum, seu Beneficiorum aliorum præiudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existant, per quæ presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, unionum, annexionum, incorporationum, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo, quarto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Suppresso Ypris Monasterio Canonicorum Regularium Sancti Martini, Ecclesiam illam construxit Cathedralam, anno 1560. simul ibidem erigens novum Episcopatum Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, eique assignans pro dote Præposituras S. Martini Ypris, S. Walburgis Furnis, & plurima Bona antiquæ Morinensis Ecclesiæ.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DE Statu Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum, prosperè, & feliciter dirigendo attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, & venustati, ac profectui, & illis præsidentium commoditati, ac aliarum in eis divinis obsequiis vacantium Personarum opportuna subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus super his consultè gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout rerum, & temporum, ac personarum, & Regionum qualitatibus præfatis, conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felicitis recordationis Paulus PP. Quartus Prædecessor noster, providi vigilisque Pastoris more considerans, quòd ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure etiam tunc subiecta erat, pro tanta Oppidorum celeberrimorum frequentia, locorumque suorum multitudine, adeo paucas Ecclesias Cathedralis habeat, ut earum Episcopi eâ, quâ opus erat diligentia, tantam animarum multitudinem minimè regere poterant, idque quibusdam hoc erat difficultius, quòd ipsorum Diocæsani Linguae idiomatice, institutisque differabant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrinâ, & piè vivendi præceptis commode instrui, nec, si quid deliquissent, facile corrigi ab Episcopis suis possent; Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos, & in officio suo continendos, nulla in tota illa regione Ecclesia erat Metropolitana: Sed Archiepiscopi extra fines ipsius ditionis existentes propter multa & varia impedimenta nulli Suffraganeis suis usui jampridem erant, & propter assiduas insidias, dolos, pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum, & Schismaticorum, à quibus eadem Regio omnifere ex parte cincta, atque obsessa erat, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine, & periculo versabatur; His, & aliis gravibus Causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi Regis precibus annuere, tamque pio ejus desiderio satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates, & Dioceses à Remensi, & Colonienfi Provinciis, quibus tunc erant Metropolitanico Jure subiectæ:

Ac Mechliniense, Iprensè, Audomarense, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis à sua quoque Diocesi, & Provincia:

Nec non ab Ecclesia Morinensi eam partem Diocesis Morinensis, quæ in Arthesiæ & Flandriæ Comitatus ditionis præfati Philippi Regis erat, cum omnibus & singulis suis Terminis, Territoriis, Cleris, Populis, Personis, Monasteriis, & Pius Locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, perpetuò segregaverat, nec non Mechliniense, Iprensè, Audomarense, & reliqua oppida præfata sic divisa in Civitates: Cameracensem verò, & Trajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem Ecclesias in Metropolitanam, ac olim Monasterii Sancti Martini Iprensè, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, nec non Sancti Audomari Audomarensem, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum præfatorum Ecclesias in Cathedralis pro totidem Episcopis creandis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent, ac Iprensi, & Audomarenfi Ecclesiis, & Civitatibus præfatis, certos districtus per Nuntium suum postmodum